

Ec. 83<sup>a</sup>

# HOMERICAE

## ALIQVOT ICONES

in signiores, Latinis uersibus red

ditæ, per Helium Eobanum

Hessum. Quarum Cata-

logum uersa pagel

la indicabit.

### Lectori.

*Monstret ut artificem pictæ noua forma tabellæ*

*Sæpe frequentandas ponitur ante fores*

*Vt breuis ingentem tabula hæc tibi monstret Homerum*

*Illius hæc dedimus ficta parcerga manu*

*Quæ si forte probas, et ab hijs maiora requiris*

*Iam tibi maius opus magnus Homerus erit.*

Clipeus Achillis  
Martis & Veneris adulterium  
Equus Troianus  
Horti Alcinoi  
Thersites  
Vlysses & Menelaus  
Sirenes;  
Ate  
Litæ  
Equi Achillis  
Cithara Achillis  
Hasta Achillis  
Thamyris  
Cestus Veneris  
Moly;  
Nepenthes

HVMANISSIMO AC IN-  
tegerrimo Viro Domino Thomæ  
Lapo Florentino &c. amico Singulari suo.  
H. Eobanus Hessus.



Non sum tam stupido prorsus ingenio,  
optime mi Thomæ, ut non intelligam  
uicissim nõ uulgarem gratiam debere  
me tibi, pro collatis nuper in me, nõ tã  
magnis quam gratis & oportunis be-  
neficijs, fuit enim plane, tua illa in me  
liberalis animi significatio Δόσις δ' ὀλίγητε φίλητε. Et  
deuinxeras id temporis animum meum tibi, non tam bene  
merendo de me (quid enim non dicam libere quod sentio)  
quam singulari quadã ingenij dexteritate, qua sic mihi in-  
ter nostros homines excellere uidebaris, ut mirarer te in  
florentissima Italia ciuitate, nempe Florentia, natũ & edu-  
catum, sic cum Germanis nostris fuisse conuersatum, ut nõ  
modo patria tua, hoc est, Ethrusca, et Latina, Verum etiã  
Germanica linguis expeditissime loquereris. Tum illud  
unice me delcctabat ingenij tui specimen, quod cum in docti-  
ssimi atq; humanissimi uiri Ioannis Charionis, non mathe-  
maticarum modo, uerum etiam in alijs generibus literarum  
prinãpis, diu antea exoptatam amicitiam me insinuaueris  
tum Illustriss. Marchionem Ioachimum Ioachimi. F. opti-  
me spei prinãpem, munusculo esses prosequuturus, nec dã-  
te nec accipiente indigno me eius muneris uelut κατὰ κόσμ-

quosque adhibuisti. Quae ipsa res quanquam exigua, facile  
tamē testimonio fuerit quanti me facias, qui munus tuum me  
is uersibus exornare, et quasi cōmendabilius, si dijs placet,  
reddere uolueris. Haec me, res, optime mi Thoma, eo indux-  
erunt, ut cum tu me donaueris bellarijs haud quaquam con-  
temnendis, ego libellum hūc imaginibus Homerias depic-  
tum, a meque tantum non tumultuaria opera uersum, tibi ac  
nominis tui memoriae aeternae inscriberem, et sub hoc noui  
anni Christiano more inituū, non secus ac apophoreta quae-  
piā, cum iam antea xenia tu misisses, ad te remitterē. Quae  
si parua tibi (ut iocer interim meo more tecum) uidebuntur  
munera, Illud cogitabis quod poëtarum principem dixisse  
legimus, difficilius esse Homero uersum quam Herculi cla-  
uam extorquere. Atqui ego, quae mea est, uel audacia uel  
insolentia, nō uersus tantum illi, sed et arma, Clipeos, Has-  
tas, Citharas, Equos, Puellas, Hortos, Reges, Flores, amo-  
res, deos denique deasque praeripio, praereptaque, istaec omnia  
ad te, ut uides, mitto. Nihil uero hic praefari attinet, nusquam  
me in harū imaginū uersione, ab Homericō sensu deflexis-  
se praeterquam in descriptione Cesti, Molyos, ac Nepenthe-  
os. In quibus, tanquam Materia ingenio conueniente meo,  
animi causa nonnihil euagatus extra praescriptum sum, si-  
cut et in connectendis hijs, quae cum essent unius generis  
sparsim tñ ac disiuncta habebantur, Ut in equis Achillis,  
itemque in abrumpendis a praecedentium cohaerentia prin-  
cipijs fere omnibus. Hoc meum officium spero eo tibi fore gra-  
tius, quo et tu es harum rerum obseruantior, et magis  
gaudebis hoc ceu testimonio uirtutis tuae, aliqua nōdo auibus

ac gentilibus tuis ostentare, quanti te non modo Germani ho-  
mines alij, sed & poetæ fecerint. Superest ut hunc libellū  
tibi nominatim inscriptum dedicatumq; in euentum foelias  
ominis ita accipias, ut fortiter sperare audeas omnia prospe-  
ra tibi hoc anno euentura, cuius initio non munere tantū  
temporaneo, sed fama etiam nominis, si quid habēt ueri ua-  
tum præsagia, sis donatus immortalī. Bene Vale Norim-  
berge Anno Christi. M. D. XXXIII, Meo Natali, hoc  
est VIII Iduum Ianuarij.

A 3

# CLYPEVS ACHILLIS

ex xviii Iliados.

**A**Rma resumpturo noua confecturus Achilli  
Fluctiuagā linquens Thetidē, & sua regna reuisens  
Mulāber ignipotens, opera ad fabrilia uenit  
Adnotosque igni iussit diducere folles  
Viginti magnis ueniebant follibus auræ  
Conflantes ignem, quarum nunc spiritus arctis  
Fauābus intensas, nunc aura remissior ibat  
Non secus ac uoluit deus, & res ipsa ferebat  
Corripiens tum flammium coniecit in ignem  
Aes graue, & inuictum chalibem flauentiaq; aurū  
Pondera, & argenti massas, incude subinde  
Ingenti imposita, tum dextrā malleus armat  
Improbis, atq; igni forcæps assueta, sinistram  
Primum hic ingentem clypeum fornacæ sub altā  
Informat, tripliā quem circum intexuit ora  
Intima nexilibus fulgentem argentea loris  
Ipsū quintupliās clipei latus omne, magistra  
Excultum fictumque manu. Nam finxerat istuc  
Terrasq; tractusq; maris cælumq; profundum  
Et usq; non unquam defessi lumina solis  
Et plenæ penitus cœuentia cornua Lunæ  
Cunctaq; stelliferum pingentia sidera cælum  
Pleiadasq; Hyadasq; & robustum Oriona  
Parrhasiumq; pecus dictum cognomine plaustrum



Arcton Hyperboreum quæ circumuertitur axem  
Ipsamq; obseruans magnum Orionæ tuetur  
Oceani ipsa expers, illotaq; semper ab undis  
Æquoris, Hic geminas insculpsit Mulaer urbes  
Diuersis hominum linguis, quarum altera plena  
Pomparum resonat plausu, genialia flammis  
Atria collucent, Hymeneia festa parantum  
Ducentumq; nouas ad splendida moenia nuptas  
E thalamo tedis presentibus, arctæ canoros  
Tibia dat sonitus, salit omnis ad inæta pubes  
Carmina & audaces coetu feruente choreas  
Deducunt, iuuat e patulis spectare fenestris  
Vestibulis domuum pulchras adstare puellas  
Parte alia fora tota frequens concursibus implet  
Insanis populus, sese ciuilibus inter  
Legibus infesti, & discordi lite coorti  
Præcipue duo iudicio contendere magna  
Lite uidebantur quorum accusator agebat  
Esse reum quendam dilata crimine multa  
Quæ soluenda foret populo, pro æde patrata  
Interfecti hominis, docet hic soluisse quod esset  
Soluendum populo, negat ille, & dicere prorsus  
Nil sese accepisse, ambo producere testes  
Inquiriq; super uero, tum deniq; arcum  
Funditur auxiliumq; ferunt clamoribus omnis  
Ambobus populus, quod quisq; ibi cuiq; faucebat  
Præcones turbam arcebant, motusq; premebant  
Donec marmoribus mox consedere politis

In sacro positis coetu, spectanda ferentes  
Sceptra senes manibus preconum uoce ualentum  
Qui simul indixere tenenda silentia turbæ  
Iura simul dixere, auri duo magna talenta  
In medio posita exponunt, quæ premia ferret  
Cuius dicta foret melior sententia caussæ  
Altera cælato quæ mœnia doctus in auro  
Fœerat ignipotens, arctæ obsidione premebant  
Binæ utrinq; aëes, populorum castra duorum  
Armis conspicua, armorum fulgentia cultu  
Hijs ingens certamen erat, pars altera ferro  
Excindendam urbem, totaq; e stirpe ruendam  
Altera censebat, deductis obsidionem  
Soluere militibus, aues multare bonorum  
Dimidia parte, at non hijs qui clausa tenebant  
Mœnia, conditio placuit. Sed talia aues  
Edocti, insidias hosti fraudemq; parabant  
Muros inualidiq; senes trepidæq; puellæ  
Et pueri tenuere, & dulcia pectora matrum  
Illi ibant duabus Gradiuo & Pallade glaucæ  
Cultus utriq; deo fuit aureus, aurea uestis  
Quales esse deos deat arma humana ferrentes  
Pone sequebantur, formaq; & corpore toto  
Turba minor, taata qui postquam ad fraude paratum  
Insidijs uenere locum, qua plurimus annis  
Labitur, & Fluuio sitientes irrigat herbas  
Huc se profecti deserto in margine condunt  
Armis contecti fulgentibus ære corusco

At duo præmissi quibus explorare potestas  
Conatus fuit hostiles data, cum retulissent  
Hostis adesse gregem pecudumq; boumque recuruis  
Cruribus urgentum uestigia, iamque sub ipsos  
Prodierant oculos tanta loca fraude tenentum  
Proxima, pastores duo qui concentibus auras  
Mulcebant uarijs, quos fistula stridula fudit  
Pone sequebantur, neque quisquam ex agmine tales  
Hostili insidias præuiderat, ocyus omnes  
Consurgunt, ferroque petunt, ferroque trucidant  
Omnia cadentumque, ouium ualidumque iuuenorum  
Ipsos pastores etiam, cum denique clamor  
Ferro occumbentum, et seuo sub Marte cadentum  
Mœnia uallantis summisque in rebus agentis  
Conalia, attonitas populi uenisset ad aures  
Arma et equos propere arripiunt, et dira minatis  
Hostibus occurrunt, et mutua uulnera miscunt  
Martem alternantes ad ripam fluminis alti  
Exoritur facies diræ atrocissima pugnae  
Pugnantes inter contentio dira tumultusque  
Et factum crudele ultro atroque uolabant  
Aspiceres alios multo cum sanguine mistam  
Vitam exhalantes, alios in uulnera pronos  
Deficere, et uitam uix ducere, uulneris illum  
Expertem, hunc æsum pedibus per tota reuinctis  
Castra rapi, iamque arma uirum, iam corpora multa  
Cede cruentari, fluere atro sanguine uestes  
Non secus ac uiuis certarent agmine utroque

Militibus passim tanquam exanimata trahebant  
Corpora, quos picto iurasses uiuere in ære  
Pinguia præterea ter aratæ iugera terræ  
Sculpserat ignipotens clipei cœlestis in auro  
Hic multi agricolæ bobus sub aratra coactis  
Terram inuertebant, qui cum certamine multo  
Ultima uenissent ad arati limina campi  
Præsto erat hic fessis qui dulcia uina propinans  
Funderet, illi ad agri studia intermissa reuersi  
Vomeris obtusi dentem impressere nouali  
Altius hic ad aratra retro, mirabile uisu  
Terra uidebatur ductis nigrescere sulis  
Auriferæ similis, flauentibus aurea campis  
Sicut arabatur, sed et aurea messis, & illam  
Messores cupidi peracuta falæ secabant  
Iamq; graues denso sternebant ordine culmos  
Alter & alterius cumulabat acruis acruum  
Multa uidebantur manibus delapsa metentum  
Farra iacere solo, tum sternebantur aristæ  
Post alias aliæ, collectos inde manipulos  
Tres simul agricolæ consueto more ligabant  
Pone sequebantur pueri qui sparsa tenaci  
Farra manu legerent, qui mox collecta ferebant  
Aurca spiaferis stringentibus hordea culmis  
Sæptra tenens manibus stabat Rex intus in agro  
Inde procul uiridi sub quercu sacra parabant  
Fercula precones cæso boue, sedula matrum  
Turba suis cœnam messoribus instruit, albo

Farre abos miscens inspererat, Addidit idem  
Parte alia deus in clipco, cum uitibus uias  
Vinea botriferos ostenderat aurea ramos  
Palmitis argento candentes brachia pali  
Fulserant, circum ueniebat fossa coloris  
Cerulei, quam totam ambibat stannea sepes  
Vnica ducebat per opertum uitibus hortum  
Semita, qua lectas deferret uinitor uias  
Tum pueri & teneræ forma atq; ætate puellæ  
In calathis crudi prædulcia munera Bacchi  
Ferre uidebantur, medio atharædus in horto  
Rustica personuit uocali carmina plectro  
Et tenui uocæ accinuit, cui læta iuuentus  
Arguto commota sono, pede plurima terram  
Pulsat, & ingenti faciles clamore choreas  
Ducere uisa simul, species fuit hæctenus horti  
Quæ super ille faber diuino insculpserat æri  
Armentale boum cœlo capita alta ferentum  
Agmen inaurato quorum pars corpore toto  
Ærea pars fuerat, rumpentes æra magno  
Mugitu e stabulis properant in pascua uasto  
Impete, ad obstreperum fluuium, longeq; sonantem  
Et multa tremulum uiridantis arundine ripe  
Protinus hinc puro cœlati quattuor auro  
Pastores armenta boum speciosa sequuntur  
Quos comitabantur ter tres robusta molossi  
Corpora, pernicesq; pedum leuitate. Sed inter  
Agmina ruperunt duo robore prima Leones

Terribiles, quamuis mugitu grande sonantem  
Eximium rapuere bouem, raptumq; trahebant  
Mox arrepta graui laniantes uiscera morsu  
Carniuoros atro macularunt sanguine rictus  
Pastores propere accurrunt certantq; tueri  
Immittuntq; canes, illi cum rapta Leones  
Tergora glutirent propere assiluerunt, sed ipsos  
Nequaquam rapidis adoriri morsibus ausi  
Aetherias uanis complent latratibus auras  
Hinc operi faber adiecit pede claudus utroq;  
Planities per amœna fuit, spectanda per amplam  
Pascua conuallem, stabula intus plurima, & albis  
Plenæ ouibus caulae, tum tecta palustribus uluis  
Culmina uillarum, spectandum deniq; multa  
Arte chorum, & uario distinxerat ordine, Qualem  
Construxisse ferunt Cretæis Dædalon oris  
Formosæ auxilium Minoidos ignibus olim  
Illic & nitidi iuuenes pulchræq; puellæ  
Stabant alternata manu æu uincla tenentes  
At iuuenes toga uelabat condensa nitenti  
Interfusa oleo, patrio de more puellis  
Lanea uestis erat, pulchras hæc ferre coronas  
Hij gladios auro grauidos, argentea lori  
Tortilis ex humero pendere uolumina summo  
Atq; illi in numerum pedibus saltare suëtis  
Saltantes duxere choros, faaliq; rotatu  
Nunc hac nunc illac uertuntur, non secus ac si  
Si quis adaptatam manibus prius experiatur

Currere posse rotam figulus, mox ordine uerso  
Mutua saltantes spatia in sua quisq; redibant  
Plurima circumstans delectabatur amicum  
Turba chorum spectans, gemini quibus alludentes  
Multa assultabant pueri dulcedine cantus  
Atq; hinc in medium perfecta laude redibant  
Pinxit & Oceani magnam reuolubilis undam  
Circum oras clypei extremas multaq; fideliq;  
Arte laborati, quem postquam robore ab omni  
Inuictum ualidumq; manu magnumq; peregit  
Tum uero ignitas superantem lumine flamas  
Aggressus thoraca dedit, dein fortibus aptam  
Temporibus galeam, cuius sumum aurea conum  
Crista tegit, tum pulchro ocreas ex ære nitentes  
Omnia quæ postquam perfecerat arma Deorum  
Ille faber, tulit illa Deæ, posuitq; nitentes  
Ante pedes Thetidis, quibus illa animata receptis  
Deuolat e summo nebulosi culmine Olympi  
Accipitri similis, Vulcania munera portans.

## MARTIS ET VENERIS adulterium ex viii Odiss.

**H**ospes ad Alcinoum cum peruenisset Vlysses  
Auxilio faciente modum, & iam Regis in aula  
Splendida magnifico traherent conuiuia luxu  
Demodocus Citharædus erat, cui prece decoram

Cum ueniens aitharam coetu feruente tulisset  
Ille agili resonas percurrens pollicæ chordas  
Iucundum æanit uesani carmen amoris  
Martis & Idaliæ Veneris, quos praua uoluntas  
Turpe in adulterium coniecit in ædibus altis  
Vulcani, quæ prima habuere cubilia furti  
Quæ dona ille Deæ dederit quam plurima, ut ultro  
Pollueret uetiti concessa cubilia lecti  
Complexumq; uiri senis, ut sol numæus illi  
Omnia prodiderit, cupidos qui norat amantes  
Mutua solliato miscentes gaudia nexu  
Qui simul audiuit duræ mala nuncia famæ  
Anxius & rem grandem animo molitus acerbo  
Versus ad assuetas artes fabrilia rursus  
Atria fornacesq; suas petit, atq; ibi magna  
Incude imposita, uincla indignantia solui  
Atq; inuicta manu rapidum conflauit ad ignem  
Fraudibus instructis iratus, & omnia Marti  
Dira minans redit in thalamos ubi furta cubili  
Turpia patrarunt taato, totiq; dolosum  
Circumfudit opus lecto, & cõmisit ab altis  
Suspensum trabibus, tam docta fraude paratum  
Tam filo tenui, quam sint uel stamina telæ  
Quam leuis in uacuo suspendit aranea tecto  
Vincula nemo hominum potuit quæ nemo Deorum  
Cernere, sic oculos omnes dolus ille fefellit  
Quæ postquam taata circumdedit arte cubili  
In Lemnon simulans abitum profiasatur altam



Quam deus ille colit terris magis omnibus unam  
Sed neq; Mars auratus eques de fraudibus ulla  
Suspitione fuit qui cum procul inde profectum  
Crederet, incepta ratus omnia tuta furori  
Limina vulcani ueniebat ad inclita, magno  
Captus amore Deæ, quæ tum paulo ante reuersa  
Ab Ioue patre domum, tranquilla mente scdebat  
Quæ Mars accipiens, ut erant, subit ocys altæ  
Limina grata domus, dextram cum uocæ præhendit  
Nomine compellans, animo gratissima nostro  
Huc age cara Venus, lectum in scendamus in unum  
Nam tuus ille opifex in Lemnon, uocæ sonantes  
Sintyas agresti nunquam rediturus abiuit  
Sic ait, & placidi subit alta cubilia lecti  
Atq; ibi cum fessi consopitiq; iacerent  
Extemplo uinclis, quæ circumfusa reliquit  
Vulcanus sapiens, capti iacuere, nec ullo  
Membra mouere modo poterant, nec dura ligata  
Soluere uincla manu, tunc, quas uitare nequibant  
Insidiæ patuere, & de propiore reuersus  
Ipse loco Vulcanus adest, nec ad ardua Lemni  
Saxa profectus erat. Nam sol ea nundus ipsi  
Omnia prodiderat, tum pectoris æger, & iras  
Ingentes animo uoluens, ad limina tecti  
Nota redit stansq; ante fores, primoq; resistens  
Nam dolor & fæanus fæiebat & ira ferocem,  
Vestibulo uocæ horrenda in clamauit, ut omnes  
Dij simul audirent, Diuum pater, inquit, & omnes

Vos alij superum uisuri accurrite iniquum  
Ridiculumq; nefas, ut me sine crimine, claudum  
Despiciat Ioue nata Venus, Martemq; proteruum  
Diligat, haud alia de caussa, quam quia firmos  
Ille pedes habeat, ego sim pede claudus utroque  
Cuius non alia est cladis mihi caussa, nec author  
Quam pater & mater, qui utinam me non genuissent  
Nunc praedum tamen est operæ uidisse iacentes  
Et uinctos in amore duos, & qualibus ambo  
Polluerint nostrum thalamum complexibus usi  
Ipse nefas spectans animo sum tristis & aeger  
Non tamen ista diu peragent ludibria nostri  
Spes bona facta mihi est, nec enim tam turpiter istic  
Nunc iacuisse uolent. Sed enim mea uincula cogent  
Quando nec hijs unquam cura ipsos ulla leuare est  
Donec cuncta mihi genitor dotalia reddat  
Quæ me promississe pudetq; & pænitet ipsi  
Pro tali tamq; abiecta probitate puella  
Quæ tamen ut formosa, ita non satis ipsa pudica est  
Sic ait, At Diui mox ferrea tecta subibant  
Mulaberis, uenit Neptunus cuspide terram  
Concutiens, uenit rerum omnibus usibus aptus  
Mercurius, uenit procul arcens noxia Apollo  
At Diuæ mansere domi, quas uita pudicas  
Extulerat melior, postquam intra limina Diui  
Per quos cuncta homini ueniunt bona, prima patentis  
Vestibuli steterant ingens est risus obortus  
Vulcani insidias spectantibus, atq; ibi Diuum

Sic aliquis

Sic aliquis nunquam fraus improba praeualet, inquit,  
Nonne uides, tardus celerem comprehendit, & ipsum  
Vulcanus Martem, claudus pede, praepete fultum  
Cum quo nemo Deum possit contendere cursu  
Artibus hunc pulchris coepit pede claudus, Is ergo  
Debet adulterij captus pro crimine poenam  
Talia sese inter iactabant uerba uiaßim  
Tunc sic Mercurium alloquitur Ioue natus Apollo  
Dic age Cylleni, num si quis in ista coactum  
Vincula te deus iniiciat, num talia uelles  
Sponte pati, & Veneris blandis amplexibus uti  
Ad quem respondens, utinam, inquit. Atlantide natus  
Sic mihi contingat ter, uincula talia uellem  
Qualia nunc Martem cohibent, perferre, nec ullos  
Omnes ut uideant, diuosue deasue uereri  
Quo minus optato fruerer sic uinctus amore  
Auricomae Veneris, dicentem talia Diui  
Praeter Neptunum cuncti risere, quod ille  
Sollicitus de Marte foret, quem uellet ab istis  
Continuo uinclis infamibus esse solutum  
Ergo hijs aggreditur mulcentem robora ferri  
Solue ait, O uulcane, & detrahe uincula capto  
Munera quae tibi cumq; dari pro talibus optas  
Officijs, age sume fidem, dabit omnia Mauors  
Mulaber huic contra, Ne magne tridentifer, Isthaec  
Quaeso iubere uelis, timidorum pacta feruntur  
Saepe carere fide, nam qua ratione reposcam  
Te super hijs carum Dijs immortalibus ipsum  
Si se proripiat, si uinclis liber ab istis

B

Hinc abeat Mauors, nec debita munera soluat  
Cui rursus Neptunus, at hoc ego dedecus, inquit,  
Si tibi contigerit, si Mars euadere iniqua  
Forte fuga uolet, ipse tibi, tibi debita, soluam  
Claudus ad hæc, neq; fas fuerit tibi deinde negare  
Quæ tu tantoperæ contendis & expetis ultro  
Sic ait, & uinclis, & duro carcere Martem  
Exiit, atq; illi diuersi abiere petentes  
Ille suam Thracen, Cyprum Venus iuit opimam  
Culmina celsa Paphi repetens, ubi ture Sabæo  
Ara illi calet, & templis in uota uocatur  
Hic illam pulchræ Charites lauere receptam  
Immortali oleo ungentes, qui dignus habetur  
Dijs honor, inde Deam diuinis uestibus ornant  
Inclytus hæc cithara uates resonante canebat.

## EQVVS TROIANVS ex eodem libro.

**H**ospes apud Regem postquam consedit Vlysses  
Alanoum, tum qui stabant ad iussa ministri  
Distribuunt epulas, & uina liquentia fundunt  
Regius hic properans preco produxit, ab omni  
Demodocum populo cultum, & uehementer amatū  
Et cantu celebrem, quem pulchra in sede locauit  
Conuiuas inter medium, qua marmore fulgens  
Magna columna stetit, quem mox ut uidit Vlysses  
Tergora primus apri conidens, parte resceta

Haud quaquam exigua cui multum abdominis esset  
Pingue super, tum preconi, cape & ista fer, inquit  
Demodoco, quamquam ipse etenim sim extorris & exul  
Hunc tamen in primis amplector, & esse colendum  
Iudico, Nam debent mortales inter haberi  
Præapuo uates in honore, ac deniq; Musas  
Quisquis amat placido demulcens carmine mentes  
Humanas, quia Musa docet canere ipsa poëtas  
Musa poetarum genus inclyta semper amauit  
Sic ait, ille ferens manibus quæ iussit Vlysses  
Demodoco tulit apponens, is munera læto  
Suscipiens animo sua se in loca deinde recepit  
Illi extendentes promptas ad pingua dextras  
Fercula, libaruntq; dapes, & pocula Bacchi  
Postquam exempta fames & pressa libido bibendi est  
Demodocum affatur sic erumnosus Vlysses  
Demodocæ in primis ego te uenerorq; tuumq;  
Collaudo ingenium, seu te Iouis inclyta proles  
Musa melos docuit, siue inspirauit Apollo  
Nam casus belli uarios durumq; laborem  
Omnia quæ tulerint fortes ad Pergama Achiui  
Egregio prorsum decantas carmine, tanquam  
Aut intersueris tantorum in parte laborum  
Aut alijs memori referentibus aure notaris  
Verum age perge modo & causas ordire canendo  
Et seriem fatalis equi, quem doctus Epæus  
Condidit adiutus diuina Palladis arte  
Ac deinde insidians in Pergama duxit Vlysses  
Milite completum lecto, qui deinde reclusis

B ij

Fortis equi latebris, euerterit Ilium armis  
Quæ mihi si referes atq; ordine cuncta loqueris  
Quo me cunq; feret deus & fortuna locorum  
Omnibus ipse feram, memorans, quam dulcia Musæ  
Carmina contulerint, quam sit tibi dexter Apollo  
Sic ait, at uates Diuum præfatus honorem  
Carminis inde sui diuini exordia sumit  
Ut Graij reditum simulantes remige plenas  
Hellepontiaco soluissent littore naues  
Castra relinquentes multis lucentia flammis  
Ut grauis armato Troianos milite muros  
Immanis superarit equus, quæ deniq; Vlyssens  
Turba sequuta duæm mediæ se infuderit urbi  
Tecta minas equi laterum cõpagibus, utq;  
In summas arcæs ipsum Troiana iuuentus  
Traxerit, & supra iam Pergama summa locato  
Visa triplex fuerit dubiæ sententia plebi  
Namq; alij huic aluum seuo perrumpere ferro  
Præcipitare alij, & saxis deuoluere acutis  
Incolumem seruare alij illæsumq; iubebant  
Ut monumentum esset ueniæq; iræq; deorum  
Hæc miseræ mansura fuit sententia Troiæ  
Nam peritura fuit crudeli urbs inclyta fato  
Si semel acciperet, contextum robore æerno  
Nescia sortis equum propriæ, quia clausus in aluo  
Optimus Arguorum abiegno quisque latebat  
Hij quam Troianis tulerint crudele canebat  
Exitium, quo lapsi ab equi ceu turbine curuis  
Clasuris laterum, iam capta tumultibus urbis

Mœnia miscuerint, ut tum generosus Vlysses  
Insano similis Marti, comitante minori  
Atridæ perucnerit ad clarissima nuper  
Limina Dæiphobi quam pugna aggressus & intro  
Palladis auxilio irrupens euerterit arcem  
Inclytus hæc cænit diuino carmine uates.

## HORTI ALCINOI ex vii Odyss.

**A**T prope magnifico qua diæes regia cultu  
Visitur, ante fuit uiridi locus undiq; sylua  
Consitus, umbrosa; nemus propagine densum  
Ramorum regione uia conseptus ab omni  
Quadrifidæ, super arboribus frondentibus intus  
Innumeri fructus ceu punica mala pirique  
Et mali teretes pulcherrima poma ferentes  
Et dulces ficus, & florens germen oliuæ  
Non aliqua fructus hijs tempestate peribant  
Non bruma, non igniferi sub sideris æstu  
Sed uer perpetuum Zephiris spirantibus illos  
Consouet, & nunc hos nascentes exatant, & nunc  
In loca cædentum subeuntes digerit istos  
Fructus enim fructu super exoriente senesat  
Inq; locum mali malum subit uuaq; in uua  
E ficu tereti ficus noua protinus exit  
Fundit odoriferos genialis uinea fructus  
Et grauidæ plenis pendent e uitibus uua

Quarum alias fiant aprica lumina solis  
Sidereo expositas igni lateq; uagantes  
Falce alias curua refecant, stant germine quaedam  
Vernantes, & adhuc in succo floris acerbæ  
Hinc aliæ fructus maturis foetibus ædunt  
Præterca uirides extremi palmitis uix  
Stant ramos amplexæ altos, nec germine uiuo  
Deficiunt semperq; uirent, totumq; per annum  
Luxuriante toros diffundunt fronde comantes  
Hinc gemini fontes, quorum rigat alter amœnas  
Pomiseraas opes horti, Regalibus alter  
AEdibus illapsus subit alti limina tecti  
Usibus æternam præbens ciuilibus undam  
Talibus Alanoï fulgebat Regia donis  
Muneribusq; deum collatis numine dextro.

## THERSITES ex secūdo Iliad.

**S**olus compositam pacem turbauit inerti  
Thersites lingua, qui turpibus inuida factis  
Pectora plenus erat, qui friuola multa loquutus  
Cum duabus populi contendere sæpe solebat  
Turpiter, & nihil ad laudem referebat honestam  
Sed quod ridiculum pugnacibus esset Achiuis  
Quo non ad Troiam uenit uir turpior alter  
Lumina distortus, claudus pede, gibbus utroq;  
Deformans humero coniunctum pectus habebat.  
Oblongi capitis uertex surgebat acutus  
Exigua rari suberant in fronte capilli.



Hostis erat magno summusq; inimicus Achilli  
Nec minus idem Ithacum capitaliter odit Vlyssem  
Tunc quoq; uituperans & acuto gutture stridens  
Plurima magnanimo conuicia dixit Atridae  
Cui tunc unanimes irascebantur Achiui  
Et uires odere uiri non æqua patrantis  
Hunc itaq; irritans hijs est clamoribus usus  
Omnibus Atrida pulchris cum rebus abundes  
Nunquid adhuc? & cuius eges? aut quid petis ultro?  
Quæ tibi solliatant animum bona? quandoquidem sunt  
Omnia plena tibi prædiuite scrinia ænsu  
Aeris inexhausti, cum sint tua plena puellis  
Omnia formosis tentoria, quas modo captis  
Vrbibus eximias dedimus tibi Graia iuuentus  
Vt quas credidimus Regem decuisse supremum  
Cumq; tot obtineas, & tanta quid insuper optas  
Aurum & opes, pulchrasq; alijs auferre puellas?  
Si quis enim Troum, quem forsitan aut ego captum  
Aut alius quisquam Danaum traduxerit, auro  
Se redimat, totum tibi quod datur adseris aurum  
Si qua per e Danais aliquem captiua trahatur  
Fœmina Troiadam quæ forma prestat, & æui  
Floribus emineat, tu protinus arripis illam  
Inuitoq; trahis domino secretaq; captas  
Munera captiuae Veneris, clausamque reseruas  
Sed neque qui rex est regem deest esse malorum  
In nos & fastu sceptrâ exercere superbo  
O nos molliculos, & inertia corda gerentes  
O Danaas nos non Danaos, quin ergo paratis

Nauibus au fugimus, patriam dulcesque penates  
Vno omnes cursu uotoque petamus eodem  
Atque istum nimio fastu, tumefacta gerent em  
Corda relinquamus Troiæ sub mœnibus altis  
Ut tandem inapiat solus sentire relictus  
An gerere hæc possit sine nobis prælia, uel non  
Qui sibi præstantem cunctis in rebus Achillem  
Læserit, atque ignominia turbarit acerba  
Nuper in erepta Briseïde, quam tamen illi  
Nomine uirtutis dedimus sua præmia Graij  
Tunc tamen haud quaquam fuerat comotus Achilles  
Sed potius ceptam dimittens fortiter iram  
Leniter ereptum sibi ferre est uisus honorem  
Quod nisi fecisset, quis te iam nosset Atrida  
Viuere, & immeritis facere hæc opprobria Graijs  
Talibus arcentem populos Agamemnona dictis  
Culpantem cum uidisset diuinus Vlysses  
Aduolat, adsistensque irato hæc increpat ore  
Garrule Thersita, quanquam tibi multa loquendi  
Copia suppeditet, nec sis non uoce canora  
Ne tamen hic solus reges inæsserre, neue  
Friuolus esse uoles, qui sis deterrimus inter  
Tot talesque uiros quicumque Agamemnona magnum  
Ipsius auspicijs sumus ad Troiana sequuti  
Mœnia, quod nequeas lingue dare frena loquaci  
Nec moderere tuis duabus maledicere uerbis  
Nunc remeare mones, patriasque reuisere terras  
Cum neque constet adhuc, num nos ad regna reuertit  
Expediat patria, & dulces repetisse penates

Et nunc pascenti populos maledicis Atridae  
Non aliam ob causam nisi quod data plurima cernas  
Præmia quæ nolles, quorum nihil ipse dedisti  
Nec similis, quis enim similis tibi uellet haberi?  
Sed magis Heroes Danaï, fortissima bello  
Pectora, digna suæ tribuerunt præmia laudi  
Quare præmoneo, credas uesane monenti,  
Si rursus in populo discordia uerba serentem  
Repperero capite hoc plectar, nec uiuus Vlysses  
Telemachi pater esse ferar, si non ego totum  
Si te non totum spoliatum uestibus istis  
Et lena, tunicaque, & quæ tegit inguina, coram  
Omnibus hijs rapidae conadam uerbere uirgæ  
Usque adeo ut multo repetas naualia fletu  
Talia commemorans sceptro sic perculit aureo  
Terga humerosque uiri, liuoris ut inde coacti  
Pallor, & extarent uibices sanguine nigrae  
Ille timens plagas, & uerbera plura resedit  
Turpiter indulgens lachrymis taatoq; dolori  
Sicabatq; manu manantia lumina, at illum  
Spectantes reliqui quanquam tunc pectora moesti  
Riserunt tamen immodicosq; dedere cachinnos  
Sic etiam est aliquis prope stantem affatus amicuna  
Qualia dii superi quamq; immortalia Vlysses  
Facta facit, seu cum summis de rebus habetur  
Consilium, siue arma manu bellumq; gerendum  
Maximus ingenio est, bello fortissimus idem  
Nunc tamen hoc quod præcipua sit laude ferendum  
Fecit opus, qui uaniloquum compescuit istum.

Nam neq; primâpibus posthac audebit opinor  
Fruuola inutilibus conuicia spargere uerbis

## VLYSSES ET MENE laus ex iii Iliad.

**I**Nde ubi cuncta oculis lustrans conspexit Vlysses  
Dic age cara, senex inquit, mihi filia, Quis nam  
Ille uir est breuior proæro Agamemnone, Verum  
Latiior idem humeris, & pectore firmior amplo  
Qui positus in humum longe radiantibus armis  
Doria solliato circumuolat agmina passu  
Non secus ac multæ spectandus uellere lanæ  
Vir gregis errat oues arcum candore nitentes  
Huic ita respondens Helene Ioue nata loquuta est  
Hic ille est Laerte satus generosus Vlysses  
Quanquam Ithacæ sterilis lapidosa natus in ora  
Vir tamen eximie sapiens, & ad omnia fraudum  
Callidus instrumenta, dolisque instructus & armis  
Tum grauis Atenor memoranti talia, uerbis  
Reddidit, hæc equidẽ mulier uera omnia narras  
Quæ modo commemoras, Nam cum olim diuus Vlysses  
Et minor Atrides uenissent Ilion altum  
Te reddi patriæ tecumq; oblata petentes  
Ambos, sicut erant legati ad pergama missi,  
Accepi hospicio, atq; opibus solabar amicis  
Et simul amborum naturam, & callida prorsum  
Consilia edidia, Siquidem cum Troia stantes  
Conalia alloquerentur, erat sublimior Atrei

Filius, & celsis humeris extabat, ut autem  
 Sessum ierant, uenerabilior decorabat Vlyssens  
 Aspectus, maiorq; fuit reuerentia uultus  
 Post ubi consedit iam pleno tota theatro  
 Conao, Legatisq; fuit data copia fandi  
 Sermo fuit forti breuis, & succinctus Atride  
 Pauca loquebatur siquidem, sed dulcia ualde  
 Hunc illi natura modum dedit ipsa loquendi  
 Ut nec aberraret uerbis, neq; garrulus esset  
 Quanquam multo etiam minor annis esset Vlysse  
 Verum ubi dicendi partes suscepit Vlysses  
 Stabat humi fixis oculis sceptrumq; tenebat  
 Immotum, similem dicas ratione carenti •  
 Conata uel nigro cui sanguine bilis abundet  
 Verum ubi magniloquam rupit de pectore uocem  
 Hibernis niuibus tunc uerba simillima fudit  
 Ut iam nemo hominum contendere possit Vlyssi  
 Eloquio, & quamquam forma preestabat honesta  
 Plus tamen eloquium nos mirabamur Vlyssis.

## SIRENES EX XII ODYS.

**D**Vm patria diræ Ciræ, tristiq; relicta  
 AEæa sapiens atque erumnosus Vlysses  
 Navigat Ionios fluctus, affatus amicos  
 Diatur, & uerbis at t hijs, aut pluribus usus  
 Que post Alanoor terebat cuncta roganti  
 O socij, que magna mihi diuinaque Ciræ  
 Predixit, non uni alicui, non illa duobus  
 Sare operæ precium est, Sed cum communiter omnes

Nos ea contingant scire omnibus illa necesse est  
Omnibus ergo simul referam, Sic namque scietis  
In nobis hoc esse situm uiuamus, an auras  
Linquentes superas, Plutonia regna petamus  
In primis uitare iubet diuina canentes  
Carmina Sirenas, nec florida prata subire  
In quibus illae habitant, me solum audire canoras  
Blanda uoce Deas. Sed uos mihi uincla priusquam  
Exiosa meas referantur carmina ad aures  
Iniicite, et rectum magno me adnectite malo  
Quod si detractis forsitan me soluere uinclis  
Iussero, tum uinclis grauius constringite, nec uos  
Vlla mei teneat reuerentia, maxima Ciræ  
Sic iubet. Hæc igitur mandabam cautus amicus  
Interea uentis nauem impellentibus, oram  
Contigimus non ambiguo Sirenida cursu  
Mox uenti posuere, auræque et scæua quierunt  
A Equora, tum socij surgentes humida primum  
Vela legunt, remis incumbunt, ictibus undæ  
Albescunt spumante salo, tum oracula Ciræ  
Mecum animo repetens, de magno pondere ceræ  
Ense parum refeco, manibus tero fortibus, Illa  
Trita manu, solisque ingenti ardore fathisat  
Hæc ego tum socijs obstructas omnibus aures  
Obleui, at me illi manibus pedibusq; ligatum  
Ad malum uinxere, iterumq; insurgere remis  
Aggressi crebro lassarunt uerbere pontum  
Iamque propinquantes inimicæ accessimus oræ  
Vsque adeo ut possent audiri uerba canentis

Nec mora blandison.e uestigia nostra sorores  
Seruantes aderant, nec enim ata nostra sefellit  
Nauis, in argutas soluentes guttura uoces  
Tale procul patrijs cœnerunt carmen in undis  
O decus Argolidum, fama inclyte, sortis Vlysse  
Huc age siste ratem, nos & propioribus audi  
Auribus, has nemo surda rate nauigat undas  
Quin potius placidas nostris concentibus aures  
Præbet, & attonitis modulamina sensibus haurit  
Nostra, quibus gaudens & doctior inde recedat  
Samus enim quas res opulentæ ad moenia Troiæ  
Gesseritis, quam sitis iniqua pericula passi  
Argui Troesq; decorum nuper ob iram  
Samus & humanas res omnes, quæq; geruntur  
Omnia, qua quicquam terrarum phœbus oberrat  
Talia Sirenes arguta carmina uocæ  
Fundebant, mihi iam dudum uesana libido  
Incessit, miroq; animum inflammabat amore  
Tam dulcæs audire modos, tunc ergo rogabam  
Innueramq; oculis, Socij mihi dura ferenti  
Vincula detraherent, magis illi incumbere remis  
Insistunt, & mox Perimedes Eurylochusq;  
Surgentes, uinclis etiam me pluribus arctant  
At postquam a tergo Sirenum terra relicta est  
Et neq; iam uocæs audiuius amplius ullas  
Tunc socij æris occlusas mollibus aures  
Expediunt, & me releuant, uinclisq; resoluunt

ATE EX XIX ILIAD.

**F**ilia dira Iouis mortalibus omnibus At  
Noxia mille modis, pedibus non mollibus unquam  
Repit humi, rerum capita ipsa, & maxima rerum  
Aggrediens homines affligit, & inter amicos  
Sæpe simultates, & noxia iurgia spargit  
Namq; nec ipsa Ioui magno quandoq; peperat  
Quamquam hunc esse ferunt hominũ primum atq; Deoris  
Hunc etenim Iuno, mulier licet, arte fefellit  
Fraudibus instructa, quo tempore uiperiadam  
Atcmene paritura fuit Boeotide in urbe  
Thebarum, supera tunc iactabundus in aula  
Iuppiter affatur diuos, & ut ista sit, inquit  
Certa meæ uobis sententia cognita mentis  
Promam etenim quæcunq; animus mihi parturit intus  
Lux hodierna uirum Luanaq; diua labores  
In partu releuans, fatis ridentibus ædens  
Ex nostro genere, & nostro de sanguine natum  
Vianos late populos qui Marte subactos  
Imperio reget, & multos dominabitur annos  
Huic instructa dolis respondit regia Iuno  
Falleris, haud etenim uerba hæc res ipsa sequetur  
At mihi nunc iura per quæ pater optime nunquam  
Fallere sacra soles, fore facta æqualia uerbis  
Saliæt ut late populos ditione gubernet  
Lux hodierna uirum quemcumq; eduæt ab alio  
Materna, de gente tua, de sanguine nostro  
Sic ait, ipse doli securus Iuppiter huius  
Nec fraudem metuens iurat quæ fallere nunquam  
Sacra solet, quam rem sibi sæpius inde molestam



Iuppiter indoluit, nam mox Saturnia caelo  
 Deuolat Argolicumq; petens delabitur Argos  
 Vxorem Stheneli Persidæ namq; sciebat  
 Ferre uterum puero grauidam, iam septimus illi  
 Mensis erat, necdum cruda maturus in aluo  
 Fœtus, at auxilio peperit Iunonis eadem  
 Lucæ marem puerum, remorato tempore partus  
 Formosæ Alcmenes, tum caelo reddita Iuno  
 Hijs, affata Iouem breuiter, sermonibus usa est  
 Iuppiter ignipotens hæc inis sensibus hauri  
 Quæ tibi nunc dicam, uitalibus æditus auris  
 Prodiit Eurystheus hodie de coniuge natus  
 Persidæ Stheneli te non indigna propago  
 Sanguinis ille tui, populos qui legibus æquis  
 Et regat, & merito patrijs dominetur in Argis  
 Iuppiter hijs animo nimium commotus æerbo  
 Verticæ contortis comprehensam crinibus Aten  
 Iurauit nunquam rediturum ad lucida caeli  
 Sidera, non unquam deinceps in parte futuram  
 Sedis olimpiacæ, quæ tantum affligere posset  
 Res hominum diuumq; & inutilis omnibus esset  
 Hæc dicens raptamque coma manibusq; rotatam  
 Præcipitem terras caelo deiecit ab alto  
 Perpetuo humanis nocturam tempore rebus

## LITAE EX IX ILIAD.

**E**sse Litas magno natus Ioue dixit Homerus  
 Cum precibus magnum non exoraret Achillem  
 Tota fere afflictis ad Troiam Græcia rebus

Haec sunt ergo Lites caelesti semine natae  
Non æquis ravidam comitantes passibus Aten  
Sunt etenim claudæq; pedes & lumina patæ  
Molliaq; exiguis peraratae corpora rugis  
Ipsa Ate neq; clauda pede est, neque lumine pato  
Nec deformato per aniles corpore rugas  
Sed cursu uelox & uiribus integra totis  
Atq; ideo æleri longe pede præuenit illas  
Omnia latiusq; terrarum regna peragrans  
Omnia conturbat, nocet omnibus, omnia miscet  
Litibus & rixis, cuius uestigia passu  
Cuncta Lites meditante legunt taatæq; sequuntur  
Has quicumque ad se uenientes atq; rogantes  
Ut ueniam factis, quibus est offensus, amicam  
Deferat, admittit, captat, reueretur, & audit  
Hunc ipsa, si quando opus est ususq; uiaßime  
Admittunt, faulemq; adhibent tum uocibus aurem  
Tum ratione iuuant qua possunt cunq; rogantem  
Sin uero excludat, uotiq; remittat inanes  
Ille indignantes iniuria facta parenti  
Conquestæ referunt orantq; ut protinus Ater  
Immittat contemptori & pædura nocenti  
Supplicia inmissuram homini pœnamq; repulsæ

EQVI ACHILLISEX XVI  
xvii. & xx. Iliad.

**I**Mpiger Automedon & curribus aptus & armis  
Sub iuga cogit equos, & ad axem iungit anhelum  
Xanthon

Xanthon & insignem Balam, quos optima cursum  
Dum procul ad latum, prati uernantis in herba  
Pasatur Oceanum, Zephyro genuisse Podarge  
Diatur, atq; ideo uentorum ab origine nati  
Acquabant celeres plantis perniabus aurās  
Pedasus accessit, quem magnus coepit Achilles  
Ecton eam cum bello euerteret urbem  
Mortalem genitū, sed & immortalibus ipsum  
Fecit equis comitem, qui postquam deinde superbum  
Senserunt magno Patroclon ab Hectore cesum  
Nec pugnae memores in tristia bella redibant  
Non intenta fugae rectori frena sequentes  
Aut naues repetunt, aut latiflui Helleponti  
Littora, quanquam illos uerbisq; & uerbere multo  
Automedon Diorides instigat & urget  
Stabant immoti uestigiaq; ipsa tenebant  
Non secus ac statuæ tumulis immobile saxum  
Adsistens, sic fixa solo capita ægra tenentes  
Lugebant, lachrimisq; rigabant grandibus ora  
Aurige desiderio, coma densa iubarum  
Sorduit, in terram propendula Iuppiter illos  
Prospiciens tristes cælo est miseratus ab alto  
Et moto capite, heu miseri cur addimus, inquit  
Mortali uos AEæidæ, qui corpus habetis  
Immortale datum, nulloq; senesatis æuo  
Nuuquid ut ipsi hominum casus doleatis acerbos  
Nam nihil ex cunctis quæcunq; animalia terra  
Reptantes spirant, homine erumnosius usquam est  
Sed neq; nunc uobis nec pulchris curribus istis

C

Hector Priamides insidet, nam neq; fas est  
Non etiam ipse sinam, satis est quod & arma proterue  
Abstulit audaci, quod & hijs nunc ille superbit  
Vestris ipse animis vires dabo, uos ego forti  
Robore præstantes faciam, ut possitis ab acri  
Automedonta, leui cursu, subducere pugna  
Ad naues pugnabit enim Tros Marte secundo  
Me præstante hodie vires dextræq; fauentem  
Successum pugne, donec Danaëia ferro  
Agmina cedentes ad naues usq; ferantur  
Et sol occiduo descendat in æquora curru  
Finitamq; ferant extrema crepuscula lucem  
Hæc effatus equis vires immisit, At illi  
Crinibus excussis currum rapuere citatum  
Per cuneos, per castra uirum, per tela, per enses  
Iamq; nouis stabat Pelidæ filius armis  
Conspiciuus, uultuq; minax cristaq; coruscus  
Terribili, rutilo Phœbæe lampadis instar  
Aere micans currum insiluit, tum uocæ paternos  
Hæc affatur equos, rapidæ præclara Podarges  
Progenies Xanthe atq; Bali, defendite uestrum  
Aurigam hunc melius, quam claro tradita nuper  
Arma Menœtiadæ uiuūq; reduate, nec me  
Exanimem, dirouæ relinquite ab hoste peremptum  
Tum Xanthus capite a summo temone reflexo  
Ad terram recidente iuba, Sic uocæ loquutus  
Dicitur humana, nam candida Iuno loquacem  
Fecerat, O sate gente deum fortissime Achille  
Nunc & adhuc nobis ex hac seruabere pugna

Verum non procul illa dies, quæ soluat ab isto  
Corpore te, tibi abest, cuius non ulla uolentes  
Nos tibi caussa sumus, sed iniqui iniuria fati  
Sed neq; quod falsis credit Patroclus in armis  
Aut mala segnities nostra, aut ignauia fecit  
Verum pulchricomæ Latonæ filius illum  
Optimus ille deum, media inter maxima Troam  
Agmina pugnantem conscât, & Hectoris illud  
Hoc tantum decus esse dedit, nos prope te cursis  
Si sit opus Zephyro contendere posse uidebis  
At tibi fatales sic nerunt stamina Diuæ  
Ut tibi sit Diui atq; hominum sub Marte cadendum  
Talia clamantem uetuit furialis Erinnyis  
Plura loqui, uerbis quibus indignatus Achilles  
Xanthe quid instantis mihi uaticinantis acerbum  
Mortis adesse diem? neque te res ista decebat  
Nec me, quod procul a patria crudele, fefellit  
Destinat exitio fatum, Sed persequar ipsos  
Interea nostris sternendos Troas ab armis  
Dixit, & egit equos in confertissima Troam  
Agmina, & instaurans Martem fera bella acbat

## CITHARA ACHILLIS ex ix Iliad.

**N**on habilis tantum bello, quandoq; sonora  
Fortia facta uirum cithara cantabat Achilles  
Tunc quoque cum Phœnix, & Tydides & Vlysses  
Myrmidonum populo tentoria plena subissent

C ij

Offendunt aitharæ neruis uocalibus ipsum  
 Heroum laudes & martia facta canentem  
 Hæc est illa uiri testudo nobilis, ista  
 Nomen adepta manu dignum, quam repperit olim  
 Ectionæas, cum magnam euerteret urbem,  
 Inter opes, cantu argutam, fidibusque canoram  
 Arte laboratam docta, nam tota superne  
 Et arcum extremas argentea protulit oras  
 Hac se tum siccò residens in litore Achilles  
 Oblectabat, alens animum dulcèdine cantus

## HASTA ACHILLIS

ex xvi & xix Iliad.

**P**eliaco quondam sapiens in uertice Chiron  
 E trabe fraxinea prægrandem inaderat hastam  
 Inasamque suo caro donauit amico  
 Pelco AEaïdæ, qua multas ille uiroꝝ um  
 Prostrauit fortes animas, & corpora leto  
 Multa dedit, quam deinde ad Pergama sacra profectus  
 Abstulit & secum magnus portabat Achilles  
 Grandem, præualidam, proæro robore, crassam  
 Quam nemo potuit quantumuis fortis Achium  
 Aut capere, aut tractare manu, nisi solus Achilles

## THAMYRIS EX SECVN- do Iliad.

**P**erides quondam, proles Iouis inclyta, Musæ  
 Thræïaum Thamyrim priuarum carminis usus

Obuia forte uirum nocte uestigia agentem  
Euryton in fausto cum linqueret omine regem  
Oecaliae, & se posse deas superare canenda  
Iactaret, si secum aliquo contendere cantu  
Auderent, hic bile nigra indignantia Musae  
Pectora succensae, spoliarunt uana ferentem  
Sensibus & cantu, & aetherae fidis arte mouende

## CESTVS VENERIS ex xiiij Iliad.

**I**llecebris magnum Iuno domitura Tonantem  
Posse timens, Veneris diua rogabat opem  
Fer nurus auxilium, nati permittite potentis  
In spacium exigui temporis, arma tui  
Non nocuisse tuo sed mens prodesse parenti est  
Dum me, non alia pellice captus, amet  
Cui Venus, haud opus est nati petere arma potentis  
Nec solet hijs telis iste carere puer  
Quod si ista ratione Iouem tibi fallere cordi est  
Pignore ab hoc, pueri quae petis arma feres  
Dixit, & eximijs radiantia angula bullis  
Protulit e blando blandior ipsa sinu  
Hic est ille potens puerique potentior arcu  
Quem mihi dic quare Ceston Homere uoces  
Sunt in eo Veneres omnesque Cupidinis artes  
Sunt in eo fraudes, philtera, uenena, doli  
Insunt illecebrae, sunt blandae uerbera liugae  
Sunt iocae, sunt risus, iurgia, probra, sales

Mille artes capiendi animos, sunt pocula nunquam  
Euitabilibus plena ueneficijs  
Omnia in hoc posuit uertentia pharmaca mentes  
Prudentes etiam fallere docta Venus  
Quem cum blanda Venus Iunoni traderet, inquit  
In taato claudas arma, fac ista sinu  
Hijs armis in amoribus omnibus omnia uincas  
Commodiora meus non habet arma puer  
Baltheus iste tuos tibi conaliabit amores  
Vinctum inuictum baltheus iste Iouem  
Risit ad hæc Iuno, Cestonque recondidit intus  
Sicut erat taato condere iussa sinu  
Cætera ab eximio si forte rogabis Homero  
Dicendo inijæet Ceston & ipse tibi

## MOLY EX ODYSS. X.

**M**Eonide sacro celebratum carmine Moly  
Cur adeo rarum tempora nostra ferunt  
Sic ego, Castalidum sic reddidit una sororum  
Quod nunc more hominum uiuere nemo cupit  
Bellua ne fieret sapiens præcauit Vlysses  
In cuius natum pectore Moly fuit  
Qua nocuas possis uitare Cupidinis artes  
Non nisi de superis ista medela uenit  
Tradidit ergo uiro florem Cyllenius album  
Radias longæ uirgula nigra fuit  
Moly uocant superi, mortalibus ipsa salubris  
Herba, sed in raris inuenienda locis



Illud habet præsens contra data philtrea uenenum  
Si proprio fuerit tempore Moly datum  
Quod quia tam pauca norunt, tam plurima monstra  
Vultibus humanis, tempora nostra ferunt

## NEPENTHES ODYS. III.

**N**vbila tristitiæ Nepenthes inertia pellens  
Mæonio notum carmine nomen habet  
Hanc Helene formosa mero commiscuit herbam  
Hospitibusque alijs Telemachoq; dedit  
Protinus & curæ, sæuique abiere dolores  
Protinus & risus & rediere iocæ  
Pulchri letifico Nepentheos ebrius haustu  
Hei mihi, non iterum sobrius esse uelim  
Tunc mea non aliquos sentiscent pectora motus  
Non dolor in nostris sensibus ullus crit  
Non si cara parens, non si fraterue, paterue  
Occumbat nostros mortuus ante pedes  
Dic age, num talem uim talibus esse sub herbis  
Credis? an hijs mulier uiribus esse potest?  
Nam mulier satis herba potens, sed tristia letis  
Misct, et hoc uicio, quam loquor, herba caret  
Quicquid id est, ego mille Helenas mihi talia mille  
Sæpe uelim faali fundere uina manu.

Excudebat Norimberge Fridericus Peypus. X Kal:  
Maias, Anno Domini, M. D. XXXIII.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.









Cl 2131.

X 2203414

m. c





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

# HOMERICAÆ

## ALIQVOT ICONES

in signiores, Latinis uersibus red  
ditæ, per Helium Eobanum  
Hessum. Quarum Cata-  
logum uersa pagel-  
la indicabit.

Lectori.

*Monstret ut artificem pictæ noua forma tabellæ  
Sepe frequentandas ponitur ante fores  
Ut breuis ingentem tabula hæc tibi monstret Homerum  
Illius hæc dedimus ficta parcerga manu  
Quæ si forte probas, et ab hijs maiora requiris  
Iam tibi maius opus magnus Homerus crit.*